

ratio postulat ut in illo contrahendo omnino liber sit et a nullius voluntate pendeat. (S. Th. 2. 2. q. 104. a. 5; S. Bonav. in 4. dist. 29. a. 1. q. 3; Sanch. I. 4. d. 23. n. 10) Haec intellegenda sunt non tantum quatenus filii nequeunt per se obligari a parentibus ad matrimoniale statum amplectendum potius quam caelibem vitam degant, vel religio nem aut clericatum ingrediantur (n. 79), sed insuper quatenus per se obligari nequeunt ad hanc potius quam illam personam ducendam: nam etiam haec determinatio, nisi fiat per modum consilii et suasionis, plurimum minuit libertatem ubi recta ratio postulat ut homo liberrime procedat.

Per accidens tamen poterunt parentes praecipere ut liberi determinatam personam matrimonio ducant, vel vetare ne ducant quam vellent, vid. quando aliunde jam obligantur liberi ad tale matrimonium ineundum vel omittendum. Sed liquet in hoc casu, praecepto parentum declarari tantum obligationem quae oriatur e virtute caritatis, pietatis, religionis, etc. Ita praecipere possent parentes ut filius matrimonium iniret, quod unicum medium foret ad gravem inopiam parentum sublevandam vel ad graves inimicities extinguedas; similiter vetare possent ne filia nuberet juveni perditis moribus, vel a vera religione alienissimo, etc. Verum, ubi causa justa quidem esset, sed nullam strictam obligationem per se imponeret, ex. gr. ubi matrimonium prodesset tantum ad familiam conservandam, facultates ampliandas et similia, suassione tantum uti liceret. (S. Alph. n. 850) Idem dicendum etiam ubi matrimonium necessarium esset, ex. gr. ad parentum inopiam sublevandam, sed invincibilem repugnantiam liberis incuteret: nam pietas ad tantum incommodum subeundum non obligat. (S. Alph. H. A. tr. 18. n. 10)

516. IV. Parentes tenentur ad consensum suum dandum liberis coniugum matrimonium inire cupientibus, etiamsi pars quacum filius vel filia matrimonium inire velit, divitiis multo inferior sit: filius enim vel filia, cum in his sit sui juris, potest promissionem matrimonii facere, non obstante mediocri alterius partis condicione, quae etiam aliis dotibus compensari potest. Excipe tamen:

1º Si persona quacum filius vel filia conjungi velit, tam infima condicione vel tam mala fama sit ut tali matrimonio verum dedecus familiae inureretur: qua de re judicandum est non ex solo arbitrio parentum, sed e communi prudentum existimatione pro variis locorum adjunctis. (Ball. P. n. 200)

2º Si ex matrimonio contrahendo timerentur gravissima scandala vel odia capitalia, quae prorsus praeponderarent damno quod sponsis ex omissione matrimonii subeundum esset. Ubi autem timerentur tantum aliqua odia, discordiae, contentiones, etc., ut non raro contingit, genera-

tim non tenentur liberi, ob hanc causam, abstinere a matrimonio contrahendo. Etenim ab hoc plerumque abstinere nequeunt sine gravi incommodo: quod ex caritate, ad vitanda aliorum scandala, subire non tenentur. (S. Alph. n. 851; Ball. P. n. 209)

V. Graviter peccant parentes qui, extra casus in quibus, juxta regulas modo expositas, juste consensum negare possunt, absolute obsistunt quominus liberi matrimonium ineat: nam eos gravi maerore injuste afficiunt, saepe etiam periculo turpium peccatorum objiciunt, vel impediunt quominus obligationem e sponsalibus oriundam impleant. Levior tamen culpa est eorum qui non absolute obsistunt, sed tantum, absque justa causa, poscunt ut matrimonium aliquatenus differatur, ex. gr. dum juvenis munus aliquod obtinuerit.

Ab hac culpa parentes non excusantur ob legem civilem, quae eis facultatem obsistendi matrimonio tribuat. (1) Nam civili facultate parentes tantum intra limites moralis legi uti possunt. Caute tamen confessarius agat, ne absque fructu parentes a bona fide deturbet, cum multi proni sint ad jura sua in hac materia amplificanda, nec monenti sacerdoti acquiescerent. Attamen simul cavendum ne injustae parentum resistentiae positive faveatur cum temporali vel etiam spirituali liberorum detimento.

VI. Sponsalia, insciis vel invitatis parentibus inita, invalida sunt, quotienscumque impleri nequeunt absque peccato: nemo enim ad rem illicitam obligari potest. Injustus vero dissensus parentum per se non dat jus resiliendi a sponsalibus initis. (Schmalzgr. in 4. Decr. t. 2. n. 82) Non raro tamen haec esse potest sufficiens ratio resiliendi, ob notabilem mutationem inductam. (n. 447) Sed cavendum ne facilius existimetur semper duratura tempestas quae, contracto vel paululum dilato matrimonio, brevi sedanda sit.

(1) In Belgio, ex lege 8 Maii 1896, qua modificati sunt aa. 148, 151, 152, 153, C. C., tum filius, tum filia ad contrahendum matrimonium indigent consensu parentum, vel, si isti diverse sentiunt, saltem patris, donec impleverint annum vicesimum primum. Si hunc impleverunt, debent petere actu *reverentiali* et *formali* consensum parentum: si consensus non fuerit obtentus, post mensem contrahi poterit matrimonium, nisi tribunal primae instantiae potentibus parentibus, illud, ob justas causas, prohibuerit. Post viginti quinque annos completos, plena libertas matrimonii contrahendi datur. In Gallia, sub Codice Napoleonic, consensus saltem patris requiritur pro filiabus usque ad annum vicesimum primum completum, sed pro filiis usque ad annum vicesimum quintum completum.

V. IMPEDIMENTUM MIXTAE RELIGIONIS.

517. I. Cum impedimento mixtae religionis contrahi dicuntur matrimonia in quibus una pars catholica est, altera vero baptizata est, sed ad sectam haereticam vel schismaticam pertinet. Talia conubia valida esse, e praxi Ecclesiae notissimum est; eadem vero per se graviter illicita esse, non minus liquido apparet ex innumeris S. Sedis documentis. Plura ex his videsis ap. Coll. P. F. n. 1420-1445.

Haec juris positivi prohibitio in ipso jure naturali et divino multiplex fundamentum habet. Plurima enim mala ex hujusmodi nuptiis enasci solent. Praecipua sunt, juxta Const. *Arcanum Leonis XIII*: 1º "Quod occasionem praebent vetitae societati et communicationi rerum sacramrum" : nam cum parte haeretica unum idemque sacramentum conficitur. — 2º "Periculum religioni creant conjugis catholici." — 3º "Impedimento sunt bonae institutioni liberorum" : nam, ut lugenda experientia in plerisque regionibus docet, saepius vel proles in haeresi educatur, vel catholica ejus educatio plurimum enervatur parentis acatholici exemplo et partis catholicae indifferentismo. — 4º "Persaepe animos impellunt, ut cunctarum religionum aequam habere rationem assuescant, sublato veri falsique discrimine." Attamen haec pericula talia sunt, ut debitibus cautionibus removeri possint: quare fieri potest, et reapse quandoque contingit ut hujusmodi nuptiae, spectato tantum jure naturali, licitae evadant. Sed, etiam in his adjunctis, manent graviter illicitae, donec a S. Sede dispensatio obtenta fuerit: lex enim ecclesiastica eas generaliter, ob universale periculum, prohibet. Immo consuetudo, quam plures AA. antiquiores testantur et S. Alph. (l. 6. n. 56) valde probabilem vocat, ineundi matrimonia mixta cum debitibus cautionibus, sed nulla petita dispensatione, hodie tolerari nequit, ut S. Inqu. an. 1871 ad Archiep. Corcyensem respondit. (Gasp. n. 445) Manifestum quoque est a nullo Superiore concedi posse validam et licitam dispensationem, quotienscumque legis naturalis prohibitio obstat.

Explorati juris hodie est: dispensationem ab hoc impedimento a nullo episcopo, jure ordinario, concedi posse, sed unice spectare ad S. Sudem et ad eos quibus S. Sedes hanc facultatem delegaverit.

Solet autem talis facultas delegari Ordinariis universaliter in locis Missionum, pro casibus tantum urgentioribus in regionibus catholicis.

518. II. S. Sedes dispensationem in impedimento mixtae religionis non largitur nisi ob gravem *causam*, qualis est Ecclesiae utilitas, bonum publicum, gravissimum malum vitandum, vel alia e caonicis causis ad elargiendas matrimoniales dispensationes generatim necessariis. (S. Inqu. Instr. ad omnes episc. Orient. 12 Dec. 1888; Coll. P. F. n. 1444)

Praeterea, antequam dispensatio concedatur, exigendae sunt a contracturis sequentes *cautiones*: 1º A parte acatholica promissio relinquendi parti catholicae plenam suae religionis exercendae libertatem et universam utriusque sexus prolem in catholica religione educandi. — 2º A parte catholica promissio adlaborandi pro viribus conversioni compartis sua; ab eadem etiam in pluribus locis utiliter exigi solet supradicta promissio de prolis educatione. "Quae quidem cautiones remitti seu dispensari numquam possunt, cum in ipsa naturali ac divina lege fundentur." (Instr. Secret. Status, jussu Pii IX ad omnes episcopos missa 15 Nov. 1858; Coll. P. F. n. 1430) Idem recentius pluries affirmavit S. Sedes, ex. gr. in mox cit. Instr. S. Inqu. 12 Dec. 1888. "Has cautiones jus naturale ac divinum cum postulet, nulla umquam humana auctoritate mixtæ nuptiæ sine ipsis permitti possunt." Quidam tamen AA. recentes (Rosset, de Sacram. Matr. t. III. n. 1760) adhuc dubitant num forsan, urgente gravissima causa, praesertim boni communis, tolerari possit prava voluntas partis heterodoxae nolentis universam prolem in religione catholica educare, prout opinabantur graves AA. antiquiores, ex. gr. Schmalzgrueber. (in l. 5. Decr. t. 6. n. 151) Certe ex his S. Sedes declarationibus liquet nulla auctoritate, etiam R. Pontificis, permitti posse matrimonium mixtum ita ut positive probetur haec partis heterodoxae voluntas, neque exempla citantur quibus constet a S. Sede datum esse parti catholicae facultatem ducendi partem heterodoxam, quando res adhuc integra esset, nisi hujusmodi cautiones datae fuissent. Quatenus, in casu matrimonii jam attentati, dispensatio dari possit quando pars acatholica educationem totius prolis in vera religione promittere renuat, satis dictum est ubi de impedimento disparitatis cultus (n. 489): eodem enim passu utrumque impedimentum procedit. (Feye, n. 573; N. R. Th. t. 15. p. 579)

Superior autem ecclesiasticus, ut declaravit S. Inqu. ad Primatem Hungariae (an. 1880), *moralement certitudinem* habere debet, sive de cautionum sinceritate pro praesenti, sive de earum adimplemento pro futuro; insuper necesse est ut cautionum exhibitio *notoria* sit vel saltem esse possit, ad omne scandalum removendum. Modum tamen quo haec certitudo moralis et notorietas oblineatur, S. Sedes prudentiae dispensantis relinquere solet. Ideo sequenda sunt statuta vel consuetudines dioecesanae: quae ad minus exigere solent a parte haeretica dispensationem scriptam, in archivio parochiali servandam. (1)

(1) Subjecimus hic exemplar litterarum quae ad Ordinarium mittantur ut ipse, vi facultatum extraordiniarum, dispenseat, vel (si ea facultate careat) dispensationem a S. Sede postulet.

Illustrissime ac Reverendissime Domine,
Joannes X... e paroecia N. catholicus, natus... domicilium habens... matrimo-

III. Ex praedictis regulis satis appareat qua ratione se gerere debeat sacerdos, cui pars catholica mentem suam aperit cum parte acatholica contrahendi. Videlicet :

1º Conetur fortiter et prudenter a tali conjugio deterrere. Quodsi non successerit,

2º Inspiciat num, in casu dato, rationes ob quas tales nuptiae e jure naturali illicitae sint, deficiant vel tolli possint; insuper num adsit gravis causa dispensationis concedendae. Si utrumque ita esse comperit,

3º Opportunas cautelas a nupturientibus requirat, et ab episcopo vel S. Inquisitione dispensationem postulet.

4º Post contractas nuptias sub gravi tenetur parochus invigilare, ut promissae a conjugibus condiciones observentur.

519. IV. Matrimonium mixtum, quod obtenta legitima dispensatione contrahitur, regulariter celebrari debet extra locum sacrum et absque parochi benedictione ullove alio ecclesiastico ritu. (Litt. Pii VI 13 Jul. 1872 ad Arch. Mechlin.) Melius est ut ne in sacristia quidem celebretur, qui locus, saltem latiore sensu, sacer est; quandoque etiam statutis dioecesanis praescribitur ut in loco prorsus profano, puta in domo parochi celebretur. Attamen ex resp. S. Off. dato 17 Jan. 1877 tolerari potest ut celebretur in sacristia, aut, si deest conveniens sacristia, in alio loco ecclesiae adjuncto, puta in capella remota, nullis cereis accensis nulloque exhibito ornatu speciali. Igitur, ubi non viget praxis benignior, de qua statim, nulli ritus nec vestes sacrae adhiberi possunt. Attamen Ordina-

nium inire cupit cum Joanna Z. baptizata, sectae... addicta. Nullum extra ordinarium periculum ex his nuptiis oriturum videtur pro fide partis catholicae: quae etiam promisit se pro viribus adlaboraturam esse alterius partis conversioni. Pars vero acatholica scripto apud me consignato vel cum juramento promisit se comparti relicturam esse liberum catholicae religionis exercitum atque universam utriusque sexus prolem, e matrimonio orituram, in eadem religione educatum iri. Quare humillime supplicat pars catholica Illustrissimam Dominationem Vestram ut sibi dispensationem super impedimento mixtae religionis Apostolica auctoritate concedere (a S. Sede obtinere) dignetur.

Causae sunt... (cfr. n. 525)

N. B. 1º Diligenter exprimendae erunt omnes causae et circumstantiae quae ad concedendam dispensationem concurrant. Ecclesia enim facilius in aliis impedimentis, puta in consanguinitate vel affinitate, quam in mixta religione dispensat. Quare non sufficeret simplex causa canonica, puta aetas superadulta mulieris; sed eadem sufficere poterit quibusdam additis circumstantiis, puta quod frustra exhibiti sunt conatus ad averterendam partem catholicam ab ineundo matrimonio, spes probabilis converlendi partem haereticam, timor matrimonii invalide vel coram ministro Protestante ineundi, etc.

2º Similibus litteris petenda erit dispensatio in impedimento disparitatis cultus, paucis mutatis de quibus constabit consulenti n. 487.

riorum prudentiae commisit Pius IX (Instr. 15 Nov. 1858 ad quam S. Off. nuper remittit 29 Nov. 1899; Coll. P. F. n. 1430) judicare quandonam, ob personarum et locorum adjuncta, "tolerari queat mos adhibendi in iisdem nuptiis ritum pro matrimoniis contrahendis in dioecesano Rituali legitime praescriptum, exculsa tamen semper Missae celebrationem." His ultimis verbis excludi non tantum celebrationem Missae *pro sposo et sponsa*, sed et mere privatae, quae tamquam caerimoniae matrimonii complementum habeatur, respondit S. Inqu. 17 Jan. 1877. (N. R. Th. t. 20. p. 464)

V. Quando catholicus matrimonium mixtum **sine dispensatione** vel omissis necessariis cautionibus contracturus est, per se ab omni interventu abstinere debet parochus. Attamen, in pluribus regionibus, ex. gr. in Austria (ex rescripto Gregor. XVI, 22 Maii 1841), parochus potest hujusmodi matrimoniis, materiali tantum praesentia, adesse excluso quovis ecclesiastico ritu. Id tolerat S. Sedes ad majora mala vitanda, vid. ne invalide contrahatur vel minister acatholicus audeatur. Haec tamen concessio nequit invokedari, nisi in locis pro quibus data est: in reliquis, occurrente simili casu, parochus recurrit ad Ordinarium qui, si tempus id sinit, S. Sedem consulere debet. (Feye, n. 570)

520. VI. Licet parti catholicae cum parte acatholica contracturae ob gravem causam **adire ministrum heterodoxum**, quando ipse personam agit magistratus mere civilis, et quidquid ipse praestat, civilis tantum actus est et vulgo habetur: idem vero graviter illicitum est, ob vetitam cum haereticis communicationem in sacris, quotiens ipse ut minister sacris addictus assistit et quasi parochi munere fungens. (S. Inqu. Instr. 17 Febr. 1864 et 12 Dec. 1888; Coll. P. F. n. 1431 et 1444) Quodsi adiretur quidem ut minister religiosus, sed extra templum nullisque exhibitis vestibus vel caerimoniiis sacris, quidam id licitum reputant quia deest ratio prohibitionis, nempe communicatio cum haereticis in sacris. (Gasp. n. 467) Sed vix videtur abesse posse species adhaesio falsae sectae, eo quod auctoritas religiosa in ministro sectae agnoscatur. Parochus vero, qui interrogatur a nupturientibus vel qui certe novit eos adituros esse ministrum haereticum, tamquam sacris addictum, eos de gravissimo peccato quod patraturi sunt admonere debet; quandoque tamen, ad graviora mala vitanda, silere poterit, vid. si sponsi neque interrogent, neque explicite hanc suam pravam intentionem manifestent, monitio vero nihil profutura certo praevideatur.

Quodsi sponsi ad parochum seu sacerdotem catholicum pro benedicens nuptiis accedant, postquam eas coram ministro haeretico vel schismatico celebraverint, idque publice notum sit vel ab ipsis sponsis

notificetur, catholicus sacerdos huic matrimonio non intererit, nisi servatis, uti supponitur, ceteroquin servandis, pars catholica facti poenitentis, praeviis salutaribus poenitentiis, a patrata culpa absolutionem rite prius obtinuerit. (S. Inqu. Instr. cit.) Eadem pars a censuris quas propter hoc scelus incurrit absolvenda est, ut respondit S. Inqu. 29 Aug. 1881. (Feye, n. 574) His censuris intellegitur excommunicatio specialiter reservata R. P. de qua n. 586: qui enim adit ministrum sectae acatholicae, tamquam sacris addictum, in foro saltem externo, censemur favere vel credere haereticis.

Si qui matrimonium mixtum, omissis debitis cautionibus, inierint et postea ad meliorem frugem revertantur, ad episcopum recurrentem erit ut etiam in foro externo cautiones praetermissae praestentur. (S. Inqu. 12 Mart. 1881; Coll. P. F. n. 1440) Sin autem pars catholica facti poenitentis a parte acatholica obtinere nequit ut consentiat condicionibus jure naturali requisitis, poterit ad sacramenta admitti, dummodo sincere promittat se summo studio curaturam universae proliis educationem in religione catholica et partis heterodoxae conversionem. (S. Inqu. 10 Febr. 1892; Coll. P. F. n. 2186) Hic tamen supponitur matrimonium validum fuisse; si enim ratione clandestinitatis invalidum fuisse ad sacramenta admitti nequiret pars catholica, nisi ab altera parte separaretur, vel, obtenta legitima dispensatione, in forma Tridentina contraheret. Quousque in hujusmodi angustiis aliquid de solitis cautionibus remitti posset, satis dictum est nn. 489 et 518.

Tandem adverte per se licitum esse sacerdoti catholico assistere, tamquam magistratum civilem, duorum haereticorum matrimonii: hoc enim casu sacerdos adest tamquam testis auctorabilis. (Litt. Em. Card. Praef. S. C. de P. F., 26 Jan. 1895; N. R. Th. t. 27. p. 373)

CAPUT V.

DE IMPEDIMENTORUM DISPENSATIONE.

§ 1. DE AUCTORE DISPENSATIONIS.

521. I. Romanus Pontifex semper valide et, cum justa causa, etiam licite dispensat in omnibus impedimentis matrimonialibus juris mere ecclesiastici. (Vol. I. n. 118) In impedimentis vero juris naturalis vel divini positivi, utpote in lege superioris, dispensare nequit nisi quatenus id ei a Deo concessum sit: quod potissimum e traditione et praxi colligatur oportet.

Ut brevi conspectu pateat quatenus R. P. possit et soleat in impedimentis dispensare, subjiciemus, cum pluribus AA. (Zitelli, de Disp. matr. p. 54 seqq.; Ball. P. n. 1337 seqq.), quadruplicem impedimentorum partitionem.

1º *Nequit dispensare* R. P. in impedimentis jure naturae primario matrimonium dirimentibus, qualia sunt consanguinitas in primo gradu lineae rectae (n. 479), impotentia antecedens et perpetua (n. 504), ligamen, quatenus excludit polyandriam (n. 461), error et metus quatenus debitum consensum impossibilem reddunt (nn. 471 et 490), aetas, cui desit usus rationis. (n. 494) Idem dicendum de impedimento juris divini positivi, puta ligaminis, quatenus uxorum pluralitatem excludit (n. 461. II), vel omnimodam matrimonii indissolubilitatem statuit. (n. 555)

2º *Numquam dispensat* R. P. in impedimentis de quibus controvenerit num sint juris naturalis, vid. in primo gradu consanguinitatis lineae collateralis (n. 479, II) et in primo gradu affinitatis lineae rectae e copula licita. (n. 481) Idem dicendum de impedimento criminis, utroque vel alterutro machinante, quando machinatio est publica (n. 485 seqq.) et de impedimento raptus, (n. 506) quamdiu rapta in potestate raptoris manet. (Feye, nn. 685 et 187)

3º *Raro tantum et ex gravi causa dispensatur* in impedimento clandestinitatis, saltem in casibus particularibus, in quibus de matrimonio contrahendo agitur (n. 495), in impedimento criminis, utroque vel alterutro machinante, si machinatio mansit occulta (n. 485 seqq.), in impedimento publico affinitatis e copula illicita in primo gradu lineae rectae (n. 481), in impedimento disparitatis cultus, saltem extra loca Missionum ubi pauci adsunt fideles (n. 487), in impedimento aetatis, quatenus ad solum jus ecclesiasticum pertinet (n. 494), in impedimento ordinis sacri (n. 461) vel professionis sollemnis (n. 473), quamquam, ex praxi hodierna S. Sedis, jam non requiritur causa boni publici, ut multi AA. docent (Zitelli, op. cit. p. 56), sed sufficit urgens ralio e bono privato deducta et sat gravis ut damnum disciplinae ecclesiasticae illatum compensetur. (De Becker, op. cit. p. 147) Raro tamen cum presbytero dispensatur.

4º *Crebrius et ob minus graves causas dispensatur* in impedimento consanguinitatis, quamquam difficilior in secundo gradu sive simplici, sive praesertim tangente primum (1), in impedimento affinitatis, excepto primo gradu de quo supra dictum est, in impedimento publicae honestatis.

(1) Quandoque facultatem dispensandi in secundo gradu tangente primum, ex. gr. ut matrimonium ineatur inter avunculum et neptem. S. Sedes communicat episcopis adhibendam "urgentissimis concurrentibus causis." (De Becker, p. 184)